

FLORA.

67. Jahrgang.

Nº. 12.

Regensburg, 21. April

1884.

Inhalt. W. Nylander: Lichenes novi e Freto Behringii. — P. Blenk: Ueber die durchsichtigen Punkte in den Blättern. (Fortsetzung.) — Personalnachricht. — Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

Lichenes novi e Freto Behringii.

Exponit William Nylander.

Illustrissimus Nordenskioeld determinatum mihi submisit Lichenes in Frēto Behringii lectos expeditionis memorabilis Vega nave per mare Glaciale se duce 1878—1879 peractae. Cl. Dr. E. Almqvist hos Lichenes attente collegit, meritissimam ita afferens contributionem ad lichenographiam arcticam.

1. Lichenes novi e Konyambay.

Hic locus pertinet ad oram Freti Behringiani asiaticam. De naturae indole ibi videoas narrationes datas in opere de Expeditione tractante a Nordenskioeld edito. Montes sunt praesertim trachytici, partim vero solum observatur calcareum. Exploratio in sinu Konyambay ejusque montibus facta est diebus 28—30 mensis Julii 1879.

A. Saxicolae.

1. *Leptogiopsis complicatula* Nyl. Thallus pallide vel sordide olivaceus, membranaceus, lobatus, tenuis, erectiusculus, complicatus; apothecia pyrenocarpoidea innata, extus thallino-prominula (convexitate obscura latit. 0,2 millim.), intus pallida;

sporae 8nae fusiformi-oblongae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses vix ullaee vel parcae, anaphyses distinctiae. Iodo gelatina hymenialis fulvescens.

Supra saxum micaceo-schistosum parce obvium.

Genus proprium thallo tenuiter membranaceo leptogioideo laevi; intus textura subamorpha syngonimiis tetragonoideis (gonimiis demum 4 in quovis), strato corticali nullo distincto. Spermogonia extus nigricantia aut concaviuscula (latit. 0,1—0,3 millim.), intus alba; spermatia oblonga, longit. 0,002 millim., crassit. 0,001 millim., sterigmatibus simplicibus. Thallus Lichenem indicat e tribu Collemeorum, sed forsitan apothecia et spermogonia definita pertinent ad *Obryzum*.

2. *Lecanora globulificans* Nyl. Est quasi *Lecanora calva* (Dicks.), sed facile distincta sporis globulosis vel subglobulosis, longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,006 millim.

Calcicola.

Thallus macula obsoleta indicatus.

3. *Lecanora disceptans* Nyl. Thallus albidus vel albido-cinerascens, granulato-conglomeratus (crassit. circiter 0,5 millim.); apothecia fusca (latit. 1 millim. vel minora), margine thallino subcrenulato vel demum crenulato cincta; sporae 8nae incolores ellipsoideae vel fusiformi-oblongae, 1-septatae, longit. 0,015—25 millim., crassit. 0,007—8 millim., epithecium fuscescens, paraphyses discretae gracilescentes. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein mox vinoze fulvo-rubescens.

Supra saxa calcarea cum *Pannularia nigra* et *Lecanora elegante*.

Pertinere videtur ad stirpem *Lecanorae disparatae*. Facie est fere *Lecanorae turfaceae*. Thallus K—.

4. *Lecanora subdissentiens* Nyl. Thallus albidus vel cinerascens, grossiuscule vel gibbose granulatus (crassit. circiter 1 millim.), granulis convexis concrecentibus, hypothallo nigro; apothecia fusca vel nigricantia, innata, plana (latit. 1—2 millim.), margine thallino turgido cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,022—30 millim., crassit. 0,011—16 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium et hypothecium tenue fusca. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde fulvo-rubescens.

Super saxa micaceo-schistosa.

Affinis *Lecanorae pelobotryae* (Whlnb.), sed thallo reagentibus meis non tinto, insignior, apotheciis magis lecanorinis, quibus notis etiam distat a *Lecidea consentiente*. Thallus K leviter fla-

vens. Cephalodia saepius adsunt. Vidi etiam apothecia fuscresentia epithecii pallidiore. Thallus variat cylindraceo-granulatus.

5. *Lecanora perradiata* Nyl. Thallus obscure cinereus, ambitu cinereo-nigricante lateque radiatus, radiis angustis contiguis, centro granulato-areolato; apothecia nigra conferta (latit. 1 millim. vel minora), margine thallino integro cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,016—18 millim., crassit. 0,010—11 millim., epithecium olivaceo-fuscens, paraphyses gracilescentes. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens (praecedente coerulescentia obsoleta).

Super saxa trachytica.

Thallo eleganter et crebre radiato, spermatiis longioribus (longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,0005 millim.) differt a *Lecanora subradiante* Nyl.

6. *Lecanora schismatopis* Nyl. Thallus albidus vel albus, opacus, tenuis (crassit. 0,4 millim. vel tenuior), rimoso-diffractus; apothecia nigricantia innata urceolata (latit. 0,5 millim.), circumscissa et inde quasi marginata, saepe difformia; sporae 8nae subgloboso-ellipsoideae, longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,007—0,010 millim., epithecium vage subcoerulescens, paraphyses gracilescentes, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Super saxa calcarea cum *Lecanora calva* (Dicks.).

Species facile distincta. Accedat ad *L. rhodopin* Smrf., quam cum gonidiis perigonidio crasso munitis convenit, sed differt apotheciis aliis, sporis minoribus subglobosis. Spermatia recta, longit. circiter 0,0045 millim., crassit. 0,0005 millim.

7. *Lecidea alborussula* Nyl. Thallus albus leproso-granulatus, byssoideo-instratus, bysso subarachnoideo passim dendroideo-instrato; apothecia russula convexa subtuberculosa immarginata (latit. fere 1 millim. vel minora), intus subcarneo-fuscenscentia; sporae 8nae subvermiculares 3-septatae, longit. 0,026—48 millim., crassit. 0,003 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium electrino-russulum, hypothecium non obscuratum. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens, praecedente coerulecentia obsoleta vel nulla.

Super saxa granitosa.

Species forsitan e stirpe *Lecideae luteolae*, nisi sit potius *Lecanora* accedens ad *Lecanoram haemalommam* biatorinam. Thallus haplogonidiis majusculis, K flavens. Epithecium K rosello-

tinctum. A *Lecanora haemalomma* gravius differt gonidiis, sporis tenuioribus, reactione Iodo gelatinæ hymenialis (in *L. haemalomma* syngonidia glomerulosa, sporaæ crassit. 0,004—6 millim., gelatina hymenialis Iodo coerulescens, coerulecentia persistente). Spermogonia non visa. Variat apotheciis (carneorubescens vel sanguineo-obscuratis) conglomeratis (var. *callosynopsis*), moriformibus.

8. *Lecidea Konyamensis* Nyl. (*Biatora*). Thallus albidus granulosus granulis convexis aggregatis aut dispersis in hypothallo nigro; apothecia sanguineo-nigricantia plana marginata (latit. circiter 0,5 millim.), intus albida; sporaæ 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses gracilescentes vel fere mediocres, discretae, apice lutescente parum crassiore, epithecium lutescens, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis obsolete coerulescens, dein mox thecae vinose fulvo-rubescentes.

Supra saxa granitica.

Species speciminulo solum manco visa. *L. caprina* Fr. fil. accedens videtur. Etiam thalamum totum in lamina tenui lutescens conspectum. Thallus K ferrugineo-cinnabarine tinctus.

9. *Lecidea expallescens* Nyl. (*Biatora*). Thallus albidus tenuis sugranulatus aut subleprosus, passim dispersus; apothecia pallida sublecanorina (latit. 0,4—0,5 millim.); sporaæ 8nae oblongae 1-septatae, longit. 0,08—0,011 millim., crassit. 0,002 millim., epithecium inspersum, paraphyses non distinctæ. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens.

Supra saxa granitica.

Forsan species stirpis *Lecideæ cyrtellæ*. Spermogonia non visa. Thallus K flavens. Apothecia interdum lecanorine marginata.

10. *Lecidea rubidula* Nyl. (*Biatora*). Thallus vix ullus visibilis; apothecia ferrugineo-rubida subglobosa (latit. 0,5—0,7 millim.), intus subconcoloria; sporaæ 8nae incolores globosæ, diam. 0,006—7 millim., epithecium ochraceo-fulvescens, paraphyses gracilescentes non bene discretae, hypothecium non obscuratum. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens (praecedente coerulecentia levi).

Super saxa calcarea.

Species insignis, prope *Lecideam ochrophoram* Nyl. disponenda. Epithecium eximie chrysophanice reagens et minus intensive

thalarium hypotheciumque, ubi quoque Acidum chrysophanicum adest. Thecae saccatae.

11. *Lecidea melapsepha* Nyl. Thallus albus tenuis areolato-rimosus, hypothallo nigrescente; apothecia nigra minutula (latit. 0,1—0,2 millim.), marginata, intus obscura; sporae 8nae oblongo-ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,010 millim., crassit. fere 0,0045 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium et hypothecium fusca. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Super saxa granitica.

Species parvula incertae affinitatis; forsitan proxima *Lecideae microstigmae* Nyl. in Flora 1880, p. 390. Thallus K non reagens. Hypothallus tenuissimus nigrescens. Spermatia recta, longit. 0,0045 millim., crassit. 0,0005 millim.

12. *Lecidea aglaeida* Nyl. Similis fere *Lecideae aglaeae*, sed apotheciis planis (diformibus, latit. 1—2 millim.) et hypothecio fuscescente. Sporae longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,006 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa.

Thallus stramineus, K flavens, areolis convexis diformibus, hypothallo nigro rugoso. Apothecia subimmarginata, intus nigra concoloria. Epithecium coerulescens (cum parte superiore thalamii). Hypothecium (cum perithecio) fuscum. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescens. Spermatia bacillaria recta, longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,0007 millim.

13. *Lecidea dendroclinis* Nyl. Thallus cinereus applanatus tenuis dendroideo-radians, innatus in hypothallo nigro et ambitu obsolete subbyssideo-fimbriato, tenuiter areolato-rimulosus, radiis contiguis aut discretis (latit. 0,2 millim. vel tenuioribus versus ambitum); apothecia nigra plana marginata (latit. 1 millim. vel minora), intus cinerascentia; sporae 8nae oblongae, longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,0035 millim., epithecium nigrum, paraphyses non bene discretae (mediocres), hypothecium tenuiter fusconigrescens. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein obscurata.

Super saxum quartzosum.

Species peculiaris thallo dendroideo-radiante, forsitan potissimum locum habens prope *Lecideam sarcogynoidem* Krb. Thallus K sublutescens, medulla I obscurata. Etiam thallo ferruginose tincto occurrit.

14. *Lecidea lygotropa* Nyl. Thallus pallidus vel luridus vel cinerascens vel obscuratus, areolatus, areolis depresso-

adnatis in hypothallo nigro subruguloso; apothecia nigra plana vel planiuscula (latit. 1—2 millim.), marginata, demum convexa immarginata, intus obscura; sporae 8nae ellipsoideae vel oblongae, longit. 0,007—0,011 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., epithecium nigricans, paraphyses crassisculae, hypothecium fuscescens vel fuscum. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein obscure fulvescens.

Graniticola.

Species videtur propria. Nulla reagentibus meis reactio thalli. Accedit ad *L. arctogenam* Fr. fil., sed thallo aliis coloris et sporis minoribus. Spermatia recta, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,0006—7 millim. — *Lecideae pauperculae* interdum habet faciem.

15. *Lecidea epiiodiza* Nyl. Thallus cinerascens vel nigricans, areolato-granulatus (crassit. 0,2—0,4 millim.), hypothallo nigro; apothecia nigra plana marginata (latit. 1 millim. vel minora), intus obscura; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,011—14 millim., crassit. 0,006—7 millim. in thecis cylindraceis, paraphyses bene discretae, epithecium violaceum, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein lutescens.

Supra saxa granitica.

Species videretur affinis *Lecideae tenebrosae* Flot., reactione thalli et aliis notis bene distincta. Thallus CaCl erythrinose tinctus. Thalamium supra violaceum K coerulescens.

16. *Lecidea atroalbescens* Nyl. Thallus albidus pulvinatulo-granulatus, pulvinulis (latit. 0,5—0,7 millim.) sparsis in hypothallo nigro; apothecia nigra plana marginata (latit. 0,5—0,8 millim.), intus concoloria; sporae 8nae nigrescentes oblongae 1-septatae, longit. 0,023—30 millim., crassit. 0,010—12 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium et hypothecium fusca. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinoze fulvo-rubescens.

Super saxa quartzosa.

Sumi possit pro *Lecideae atroalbicanis* varietate, nam medulla I reagens, sed thallus supra K e flavo insigniter cinnabarine tingitur. Quoque *L. eupetraeoides* Nyl. mox differt medulla Iodo non obscurata.

17. *Lecidea semotula* Nyl. Thallus flavo-virescens tenuis granulato-areolatus, granulis (latit. circiter 0,2 millim.) saepe dispersis, parum convexis, hypothallo tenuissimo nigricante; apothecia nigra plana marginata (latit. 0,3—0,5 millim.), intus con-

coloria; sporae 8nae incolores ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,008—10 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses non discretae, epithecium et hypothecium fusca, thalamum fuscescenti-tinctum. Iodo gelatina hymenialis coeruleascens, dein obscurata.

Super saxa gneissacea.

Species e stirpe *Lecideae atroalbanticis*, sin satius prope *Lecideam alpicolam* disponatur, licet sporas habet parvas incolores. Thallus reagentibus meis non afficitur. Variat pallidior, minus flavens.

18. *Lecidea leucopsepha* Nyl. Thallus albus vel albidus, ex areolis constans subrotundatis plano-convexiusculis rotundatis (latit. 1 millim. vel minoribus) sparsis, in hypothallo nigro; apothecia nigra plana marginata submediocria marginata, intus concoloria; sporae 8nae nigrescentes oblongo-ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,018—25 millim., crassit. 0,007—0,010 millim., epithecium et hypothecium fusca.

Super saxa quartzosa.

Forsan subspecies *Lecideae alpicolae*. Iodo medulla leviter vel obsolete coeruleascens, quod etiam observatur in ipsa *L. alpicola* Freti Behringiani (quoque gonidia pariete coerulecente).

19. *Verrucaria interversa* Nyl. Thallus niger opacus tenuis continuus, passim subrimulosus; apothecia pyrenio integre nigro prominula subrugulosa majuscula obducta (latit. 0,5—0,7 millim.), convexa vel tuberculiformia; sporae 8nae incolores ellipsoideae murali-divisae, longit. 0,048—70 millim., crassit. 0,025—38 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens (sporae non tinctae).

Super saxa calcarea.

Species accedens ad *Verrucariam intercedentem* et *V. inumbratam*, thallo nigro mox distincta. Gonidimia glomerulosa. Paraphyses gracillimae irregulares saepe adsunt, sed non satis typice, ut stirpem indicant aliam.

20. *Verrucaria diffusilis* Nyl. Similis *Verrucariae umbrinae* (Whlnb.) Nyl., sed thallo tenui nigricante ambitu dendroideo-radiante, gonidimiis hymenialibus oblongis (longit. 0,006—0,011 millim., crassit. 0,003 millim.).

Granitcola.

Thallus opacus rugulosus continuus. Sporae 2nae longit. 0,030—40 millim., crassit. 0,012—16 millim.

21. *Verrucaria subareolata* Nyl. Subspecies *Verrucariae hymenogoniae* thallo cinereo-virescente vel dilute fusco-cinerascente, tenui subareolato.

Calcicola.

Apothecia latit. 0,4 millim., saepe conferta.

22. *Verrucaria pertusura* Nyl. Est quasi *V. hiascens* Ach., sed sporis 3-septatis, longit. 0,033—42 millim., crassit. 0,017—21 millim. (accidentibus interdum septulo vel septulis sensu longitudinali vel obliquo).

Calcicola.

Maculam albam obducentem gibberulosso-inaequalem format. Apothecia in gibberulis substrati innata (inde pertusarioidea), pyrenio intruso integre nigro (latit. circiter 0,5 millim.), superne ostiolo nigro (a gibberulo marginata). Gibberulus latit. circiter 1 millim. (calce constitutus).

23. *Verrucaria subjunciva* Nyl. Est quasi *V. muralis* nonnihil major, pyrenio subtus nigro (tenuiore quam supra), sporis nonnihil majoribus (longit. 0,027—32 millim., crassit. 0,012—14 millim.). Pyrenium latit. circiter 0,5 millim.

Supra lapillos calcareos.

B. Terrestres.

Huc ducuntur Lichenes super terram, muscos et quisquia destructa obvenientes.

24. *Collema subhumosum* Nyl. Thallus niger, sat tenuis confluens, passim apiculato-asperulus; apothecia concoloria concava (latit. fere 0,5 millim.), margine thallino crassulo subrugoso recepta; spora 4nae ellipsoideae 1-septatae (loculis binis submurali-divisis), longit. 0,026—30 millim., crassit. 0,015—18 millim., utroque apice obtusatae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Species thallo collemaceo mox differens a *Leptogio humoso* Nyl. comparabili, similiter terrestri.

25. *Collema triptophyloides* Nyl. Thallus olivaceo-nigrescens, facie *Pannulariae triptophyllae*; apothecia rufa convexa (latit. 0,6 millim.); spora 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,005—7 millim., paraphyses mediocres, clava fusco-rufescens. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Frustulum solum vidi unico apothecio. Species videtur e stirpe *Collematis myriococci* (sin potius *Collemodium*), jam perspicua thallo conferte ramuloso-intricato, altit. (crassit.) 1—2 millim., Iodo intus vinoise rubente.

26. *Collema triptodes* Nyl. Thallus olivaceo-nigrescens, sat tenuis, subpapilloso-exasperatus, papillis subconfertis minutis

(crassit. vix 0,1 millim.); apothecia nigricantia lecideiformia convexa (latit. 0,5—0,7 millim.), intus albida; sporae 8nae globoso-ellipsoideae vel globosae, longit. 0,009—0,015 millim., crassit. 0,009—0,011 millim., epithecium fuscum, paraphyses fere mediocres, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Affine priori, sed sporis jam aliis distinguendum. Thallus passim intricate subfruticuloso-ramosus, altit. vix 1 millim., hormogonimia continens, lamina tenui Iodo vinose rubescens.

27. *Solorina embolima* Nyl. Thallus albido cinerascens vel subcinereo-virescens, tenuis, membranaceus, parum evolutus; apothecia fusca cupulari-concava (latit. 2—3 millim.), receptaculo extus pallido; thecae monosporae, sporae subelectrino-rufescentes oblongae 2—3-septatae, longit. 0,085—0,120 millim., saepissime 2-septatae (cellula media latiore), paraphyses mediocres gelatinose conglutinatae, epithecium luteo-rufescens. Iodo thecae coerulescentes.

Supra terram calce inspersam. Parca frustula visa. Cupulae in terra immersae.

Thallus gonidimiis munitus. Apothecia ab eo urceolato-limbata. Sporae valde eximiae. Facie accedit ad *S. spongiosam* (Sm.). Cephalodia non visa.

Observatio I. — In ephemeride Le Naturaliste no. 1 hujus anni indicavi tribum *Peltigereorum* a subtribubus duabus componi: 1^o *Peltideis*, thallo gonidimioso, et 2^o *Peltigerineis*, thallo gonimioso. Ad *Peltideos* pertinent genera *Nephroma*, *Peltidea* et *Solorina*. Ad *Peltigerineos* pertinent genera *Nephromium*, *Peltigera* et *Solorinina* Nyl. Simil notavi *Solorininae* generis esse *S. simensis* (Hochst.), *S. crocoides* Nyl. (data in collect. Hook. fil. et Thoms. no. 1662) et forsitan *S. sorediifera* (Nyl. Syn. p. 331).

Observatio II. — Sententia explicans cephalodia endogena apud *Solorinas* obvia (vel apud alios Lichenes haud paucos) ex „algis parasitis“ orta sponte in thallos receptis intrusisque conceptione nititur omnino turbida et desipiente; atque hic non agitur de primo initio prothallino, sed de thallo adulto schwendenerizante (sit venia verbo). Qui gonimia vel potius synonymia ita intrantia volunt in thallos, eorum strata penetrantia et incidentia ibi quousque illis placet inter elementa thallina ad ipsa loca, quae secundum dispositiones varias apud varias species occupare debent; qui hocce admittunt sine dubio Lichenibus inesse voluntatem et simul vim mechanicae impul-

sionis tales translationes efficientem agnoscunt. Neque negandum est Lichenes sic animam singulariter activam habere et intelligentiam attentam microscopiceque satis subtilem ut motus implicatos perficiant. Gonimia sibi convenientia semperque similia circa thallos vagantia seligere non nescirent, ea arriperent hyphis et intruderent intra texturas thalli perducerentque demum in locum ubi sedes eorum regulariter figenda est, ut forment cephalodia endogena. Dicitur quoque, „algas“ ad hoc advenientes irritationem in superficie thalli movere indeque sensu delicato hyphas incitari ut illas involvant et introducant, nam hyphis in tota illa operatione partes activae et ad instar tentaculorum propellentes attribui videntur. „Certo judicio“ miro, ex ejusmodi aestimandi ratione, gauderent thalli, ne errent in distinguendis elementis gonimicis, quae ingerere conveniat, et ne incongrua vel nociva attrahant et recipiant, quod caute evitare necesse sit. Sed omnia haec sunt vanissima ludibria imaginationis facilis novatorum et adnumeranda simul cum schwendenerismo et minksianismo inter fabulas, quae nullo jure ad scientiam veram adscribere decet.¹⁾ Schwendeneristae nihil,

¹⁾ In Le Naturaliste l. c. jam de syngonimiis cephalodiorum scripsi: „Ces gonimies naissent nécessairement, comme les gonidimies, à la place qu'elles occupent, car on ne peut pas admettre qu'elles viennent du dehors et traversent les tissus thallins, obéissant à une aspiration inexplicable ou à une attraction mystérieuse qui les conduiraient à cette place spéciale. Les hyphes sont impuissantes à les pousser et ne s'en soncient pas assurément. Le crochet algophile de M. Bornet, depuis perfectionné par M. Stahl, ne saurait les faire avancer, et, d'ailleurs, les lichénohyphes se passent fort bien de ce petit engin innocent. On ne voit pas les gonimies ou syngonimies (assemblages de gonimies) arriver ni se diriger vers les points occupés par les céphalodies endogènes, dont il s'agit; et si des syngonimies disponibles se présentaient, le mécanisme nécessaire à leur translation leur ferait absolument défaut, mais des syngonimies identiques à celles du thalle n'existent pas en liberté. Elles ne peuvent donc pas s'introduire dans les thalles et pénétrer dans la couche sous-corticale“. — Syngonimia cephalodiorum pro *Nostoc* habentur a Schwendeneristis, nec tamen differunt isidia Collematum a globulis nostocinis minutis; sed haec assimilare „algis“ inconsideratum putare licet, nam tunc Collemata quoque essent algae. Etiam syngonimia scytonemoidea et sirosiphoidaea cephalodiorum in *Stereocaulis* erronee pro *Sirosiphonibus* et *Scytonematibus* habentur, in illis enim cephalodiicolis, sicut in syngonimiis nostocoideis cephalodiicolis, vaginae vel glomeruli vel globuli gelatinoso-cellulosi involventes *Scytonema* carent, qui character chemicus jam differentiam manifestissimam praebet. Itaque nec ullum *Nostoc*, nec *Scytonema*, nec *Sirosiphon* in cephalodiis neque in thallis occurront, quod sic demonstratur. Scytoneminum mox distinguit *Nostoc*, *Scytonema* aut „*Stigonema*“ quodvis, sicut Acido hydrochlorico facillime et perspicue videre licet, sed syngonimiis cephalodiorum endogenorum nulla adest reactio scytoneminica, praeter alias differentias.

ne minimum quidem momentum obtulerunt rem eorum probans, nam in experimentis sporas adhibuerunt Lichenum, et e spora Lichenis prodit Lichen absque ulla interveniente synthesi, hocce est bene probatum. „Fungus“ eorum non est Fungus, „Alga“ eorum non est Alga. Si autem aliquid pro re sua probare vellent, necesse erat, sicut antea monui, culturis uti, ubi sporae verae Fungi (ex gr. *Pezizae* aut *Sphaeriae*) cum elementis protococcoideis symbiotice coalescere consiperentur et rite demonstraretur tali symbiosi completa Lichenem formari. Anmadvertatur hic denique assertionem, Lichenes pertinere ad classem Fungorum, ob analogiam superficialem fructus, esse aeque absonam atque est affirmatio quorumdam scriptorum novatorum recentium, *Characeas* esse Algas ob analogiam superficialem, quae leviter consideranti quoad systema vegetativum appareat, inter *Nitellas* et *Confervas* inepte comparatas. Arctiores verioresque quidem inveniuntur nexus inter Lichenes et Algas marinas, inter Aërophyceas et Phyceas, sicut olim dictum fuisset.

28. *Pertusaria subobducens* Nyl. Similis fere *P. obducenti* Nyl., sed thallus magis albus et K extus non reagens. Sporae 2nae longit. 0,140—200 millim., crassit. 0,055—95 millim. Thallus nodoso-crustaceus, apotheciis incoloribus, epitheciis nigris, punctiformibus, non prominulis, pluribus in quovis nodulo difformi. Medulla K flavens. Spermogonia non visa.

P. globularis (Ach.) quoque comparabilis, sporas habet 4nas.

29. *Lecidea rufofuscella* Nyl. Thallus albidus tenuissimus continuus vel subevanescens; apothecia ferrugineo-fusca plana marginata (latit. circiter 0,5 millim.), demum convexa immarginata, intus alba; sporae 8nae fusiformi-ellipsoideae vel ellipsoideae, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,005—6 millim., epitheciun et peritheciun rufofusca, paraphyses non bene discretae, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis vinose rufescens.

Species prope *Lecideam rufofuscām* Anzi forsitan optime locum habens, minor, thallo tenuiore, sporis minoribus etc.

30. *Lecidea subabbrevians* Nyl. Thallus albus vel albidus, granulato-confluens, sat firmus; apothecia nigra planiuscula vel convexa (latit. 1 millim. vel minora), immarginata (vel juniora submarginata), intus obscura; sporae 8nae bacillares 3-septatae, longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,0035 millim., epitheciun

sordide coerulescens, hypothecium fuscum parte supera obscuriore.

Terrestris. Subspecies *Lecideae subincompta*, affinis subspeciei *epihypnae* Nyl., sed thallo magis albido (in *epihypna* cinerascente), hypothecio multo obscuriore. *L. epihypna* magis tangit *L. abbreviantem* Nyl.

31. *Lecidea pycnotheliza* Nyl. Thallus albidus pycnothelioideus, fruticulis firmis (altit. 1—3 millim., crassit. 0,3—0,6 millim.) supra papilloso-divisis, confertis; apothecia fusconigra plana vel convexiuscula, immarginata (latit. 0,2—0,3 millim.), intus albida, conferta; sporae 8nae incolores oblongae vel fusiformi-oblongae, longit. 0,014—16 millim., crassit. circiter 0,0035 millim., epithecium luteo-rufescens, paraphyses discretae, hypothecium dilutius vel obsolete luteo-rufescens. Iodo gelatina hymenialis lutescens.

Thallus K flaves, at medulla alba („tartarea“) non tumincta, nec Iodo. Spermatia leviter arcuata, longit. 0,008—9 millim., crassit. 0,0005 millim. Species omnino peculiaris, at forsan parasitica sunt apothecia hic definita.

32. *Lecidea speirococca* Nyl. Thallus albus vel albidus, globuloso-granulatus, passim subsparsus (globulis diam. fere 0,1 millim.); apothecia nigricantia convessa immarginata (latit. 0,2—0,3 millim.), intus pallida; sporae 8nae oblongae simplices, longit. 0,014—19 millim., crassit. 0,006 millim., paraphyses non bene distinctae, epithecium dilute rufescens, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens (praecedente coerulecentia obsolete).

Supra *Andraeam* graniticola (cur potissime inter Lichenes muscicolas releganda).

Species videtur affinis *Lecideae miscellae* Ach., thallo alio tenuiore et hypothecio non obscurato. Thallus K non reagens.

33. *Lecidea ementiens* Nyl. Thallus albidus tenuis vel tenuissimus, continuus, obducens, passim inaequalis; apothecia fusco-nigra convexa (latit. 1 millim. vel minora), juniora, plana, immarginata, intus albida; sporae 8nae oblongae simplices, longit. 0,009—0,014 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses non discretae, epithecium incolor (vel passim sicut thalamum punctis vagis nigricantibus inspersum), hypothecium crassum. Iodo gelatina hymenialis fulvo-rubescens, praecedente coerulecentia levi.

Supra muscos et vegetabilia destructa.

Species est e stirpe *Lecideae vernalis* facile distinguenda, licet facie nihil peculiare habet. Thallus reagentibus meis non tinctus (passim subcaesio-tinctus). Hypothecium e cellulis obliteratis in lamina tenui intricato-strigatum. Spermatia recta, longit. 0,005—6 millim., crassit. 0,0005—6 millim.

34. *Lecidea allinata* Nyl. Thallus albidus tenuissimus subilliniens, passim obsolete subgranulosus; apothecia fusco-nigricantia (passim obscure pallescentia), convexa, immarginata (latit. circiter 0,5 millim.), intus albida; sporae 8nae fusiformes 3-septatae, longit. 0,020—30 millim., crassit. 0,004—5 millim., epithecium vase nigricans, paraphyses non bene discretae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvo-rubescens.

Supra muscos destructos.

Accedit ad *Lecideam ternariam* Nyl., sed thallo alio, sporis longioribus et gelatina hymeniali Iodo tota fulvorubescente.

35. *Verrucaria punctillata* Nyl. Apothecia nigra immersa minutella, pyrenio coerulecente (latit. 0,1 millim.); sporae 8nae incolores fusiformes 3-septatae, longit. 0,018—20 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses graciles parcae vel obsoletae. Iodo gelatina hymenialis non tincta.

Parasita videtur. Thallus, in quo insidet, faciei fere *Normandinae viridis* expallidae, sed esse possit aliis Lichenis ignoti.

Parisiis, die 1 Martii, 1884.

Ueber die durchsichtigen Punkte in den Blättern.

Von P. Blenk.

(Fortsetzung.)

Pelargonieae.

Endlicher führt bei seiner hiehergehörigen Familie der *Tropaeoleae* die Gattung *Magallana* Cav. mit „foliis poris pellucidis lutescentibus notatis“ an. Benth. u. Hook. aber geben an: „*Magallana* Cav., genus ad specimen florifer evidenter depauperatum *Tropaeoli* (*Chymocarpus* Don.) *pentaphylli* Lam. conditum videtur addito fructu omnino alieno“.

Bei der Untersuchung zeigten Blätter von *Trop. pentaphyllum* Lam. nur mit der Lupe wahrnehmbare äusserst feine durchsichtige Pünktchen. Im Chlorophyll befinden sich zahlreiche Krystalldrusen. Diese sind es jedoch nicht, welche jene Pünkt-

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1884

Band/Volume: [67](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Lichenes novi e Freto Behringii 211-223](#)